

*Sie nehmen diese Schenkung dankbar an* et de unanimi consensu omnium nostrum praefato domino et magistro Stephano suisque testamentariis necnon capitulo ecclesiae Misnensis promittimus bona fide, nosque et nostros successores ad hoc voluntarie obligamus omni dolo et fraudibus procul motis, quod praedictum festum de spinea corona domini perpetuis futuris temporibus omni anno ipso die sancti Egidii cum vesperis et completorio et in crastino cum officiis nocturnis et diurnis cum cantu, pulsu et omni sollempnitate iuxta historias nobis praesentatas et secundum consuetudinem nostrae ecclesiae peragere volumus et debemus et sollempniter decantare, ita tamen, quod de praefata media sexagena custos monasterii nostri qui pro tempore fuerit in dicto festo pro luminaribus extendendis et accendendis in dicto festo debeat habere tres grossos, et ultra hoc quartum grossum omni anno recipiet pro reformatione historiarum in casu quo deficerent ex vetustate vel alia causa forsitan imminente, residui vero xxvi gr. iuxta consuetudinem monasterii nostri proportionabiliter dividantur, sic tamen, quod campanatori cedat tantum quantum uni ex minoribus dominis adhuc scolas intranti, ut pulsando, altaria praeparando et alia suum officium concernentia maiori diligentia studeat adimplere. In quorum omnium et singulorum testimonium atque robur sigillum nostrae praepositurae unacum sigillo capituli nostri duximus appendenda sub anno domini M° CCCCXVII°. mensis Maii die prima. —

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln der Probstei und des Convents an Pergamentstreifen.

Asciani montes pietat. Rom. p. 634.

No. 259. 1417. 18. Aug.

*Der Probst Erhard erkaufte von seinem Convent Geldzinsen zu Verwendung bei zwei neuerdings gestifteten Jahrgedächtnissen.*

Cum fluxus temporum etc. Hinc est, quod nos Erhardus praepositus canonicorum regularium monasterii sanctae Affrae in Misna per nos et successores nostros publice recognoscimus per praesentes, quod necessitate compulsi, praesertim cum ad dignitatem praepositurae nostrae deo auspice canonice electi veneramus, modicumque in his, quae spectant ad bonum utile delectabile et honestum, per temporalia in cura domestica et pollitia reperientes duas sexagenas grossorum Fribergensium monetae melioris census annui in villa nostra Prauschicz super bonis Heynemanni dicti Karas, quae iam possidet et in futurum poterit possidere, septem videlicet solidos grossorum in festo sancti Michaelis proxime venturo et tres solidos grossorum in festo sanctae Walpurgis vicini sequenti, et deinde annis singulis monetae supradictae de consensu et voluntate omnium dominorum, prioris et conventus monasterii praefati vendidimus et sub titulo reemptionis vendimus per praesentes dolo et fraude semotis quibuscunque, venerabilibus et religiosis viris domino Friczoldo priori totique conventui monasterii praelibati, nostris concanonicis et professis. Nam idem censualis more solito praefatis dominis omagium fecit specialiter et expresse, censum praedictum in terminis prae habitis eisdem dominis vel cui commiserint nomine ipsorum ad eorum monasterium deferre indilate, promittens ipsis fidem et fidelitatem servare inconcussam; in quibus si remissus fuerit repertus per praefatos dominos ad huiusmodi per censuram ecclesiasticam poterit compelli, nostra ac nostrorum successorum inhibitione non obstante. Nos igitur Erhardus praepositus supradictus infra scriptas duas sexagenas grossorum